

## LIBRI I.

## TRIGONOMETRIÆ

## SECTIO POSTERIOR

## De Triangulis Sphæricis.

## CAP. XV.

De

*Sphærâ, Sphæraq, Circulis in  
genere.*

**S**phæra est figura solida, unicâ superficie comprehensa, cujus partes à puncto exactè medio undiquaq; æqualiter absunt.

Vel, ut Cicero libr. de *Universitate loquitur*, cujus omnis extremitas paribus à medio radijs attingitur. Finckius suæ *Geometriæ* lib. XII. definit Sphæram, esse rotundum solidum; ad differentiam Circuli, quam lib. I. dixerat esse Rotundum planum.

Illud verò punctum Sphære medium etiam hîc *Centrum ejusdem* dicitur.

Ab hoc enim itidem, uti prius in Circulo, quotquot lineæ rectæ ad superficiem ducuntur omnes sunt æquales: dicuntur etiam Radij vel Semidiametri, suorum nempe Circulorum, quorum Radij nimirum sunt.

Estq; non tantum Sphære, sed & Axis Sphære ipsius medium.

Axis verò Sphære est recta linea à puncto certo superficie Sphære ad oppositum per centrum ducta, circa quam